



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri
Benedicti**

Meyenschein, Benedikt

Hildesii, 1725

VD18 10311831

LII. De Oratorio Monasterii. Munda rei vanæ sint Oratoria planè; Utque
ferunt secum, sint loca sacra precum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

nasteriis est licentia generalis pro NB. ve-
ris itinerantibus. Plura vid. in Statutis
nostris Bursfeld. pag. 286. & seqq.

c) Vel majore, vel minore excommunicatio-
ne, secundum rationem excessus, & con-
ditionem delinquentis. Ex Turrecrem. &c.

3. APRIL. 3. AUG. 3. DECEMB.

CAPUT LII.

De Oratorio Monasterii.

Oratorium a hoc fit, quod dicitur;
nec ibi quidquam aliud geratur, aut
condatur *b*. Expleto Opere Dei omnes
cum summo silentio exeant, & agatur o
reverentia Deo: ut Frater, qui fortè sibi pe-
culiariter vult orare, non impediatur al-
terius improbitate. Sed & si alter vult
sibi fortè secretius orare, simpliciter *d*
intret & oret, non in clamosâ voce *e*, sed
in lacrymis & intentione *f* cordis. Er-
go qui simile opus non facit, non per-
mittatur expleto Opere Dei remorari *g*
in Oratorio, sicut dictum est, nè alius
impedimentum patiat.

- a) *Idem, quod domus Orationis. Et quamvis aliqui distinguant Ecclesiam & Oratorium, quod istud purè deserviat ad orandum, illa verò ad sacra omnia fidelibus administranda; vel etiam quod Ecclesia sint Clericorum, Oratoria Monachorum: tamen S. P. N, cum pluribus aliis hæc sumit pro eodem, ut patet ex c. 38. & 58.*
- b) *Id est, fiat: subaudi [quod ex Gratiano, Burchardo & Ivone addendum putat Menardus] quàm quod Divinis mysteriis conveniat. Exulare proinde debent fabula, nugæ & alia levitatis indicia, ab antiquis Patribus acerrimè castigata.*
- c) *Alii legunt, habeatur.*
- d) *Id est, ex puro & sincero affectu pietatis.*
- e) *Quia hæc & alios perturbat, & elationem sapit aut hypocrisin.*
- f) *Seu intensione, id est, ferventi affectu.*
- g) *Idem hîc, quod diutius manere.*

4. APRIL. 4. AUG. 4. DECEMB.

CAPUT LIII.

De hospitibus suscipiendis.

Omnes a supervenientes b hospites tanquam Christus suscipiantur c; quia ipse